

**Descriptio tumoris coccygei foetus rudimenta continentis, qui in clinico chirurgico Bonnensi feliciter est exstirpatus : praemittuntur nonnulli analogi casus : dissertatio inauguralis quam consensu et auctoritate gratiosi medicorum ordinis in alma Regia Litterarum Universitate Fridericia Guilelmia Rhenana ad summos in medicina et chirurgia honores rite assequendos scripsit et una cum thesibus die XXX. mensis Decembris a. MDCCCLVI / publice defendet Guilelmus Geller ; adversariorum partes suscipient W. Busch, J. Schmidt, M. Thelen.**

### **Contributors**

Geller, Wilhelm, 1829-  
Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

Bonnae : Typis Carthausianis, [1856]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/rk2fk5tr>

### **Provider**

Royal College of Surgeons


### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b22326388>

4

# DESCRIPTIO

TUMORIS COCCYGEI FOETUS RUDIMENTA CONTINENTIS, QUI IN  
CLINICO CHIRURGICO BONNENSI FELICITER EST EXSTIRPATUS.

PRAEMITTUNTUR NONNULLI ANALOGI CASUS.

---

## DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ASSEQUENDOS

SCRIPSIT ET UNA CUM THESISIBUS

DIE XXX. MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLVI.

PUBLICICE DEFENDET

**G U I L E L M U S G E L L E R**

RHENANO-BORUSSUS.

---

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

W. BUSCH, MED. DR. PR.

J. SCHMIDT, MED. DD.

M. THELEN, MED. CAND.

---

**B O N N A E**

TYPIS CARTHAUSIANIS.

1/6



DESCRIPITO

IN NOMINE SOCIETATIS REGIAE ACADEMIAE  
CLINICO CHIRURGICO BONNENSIS FECTUS EST EXTRACTUS  
PRACTICITUR PER NORMAM ANALOGI CASUS

DESCRIPTIO ANALYTICA  
VIRI ILLUSTRISSIMO

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSA MEDICORUM ORDINIS  
IN ALMA URBE LITTEARUM UNIVERSITATE BONNENSIS  
PUBLICATIONE SOCIETATIS REGIAE ACADEMIAE

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIS

AROLO CUTLEMO WUTER

DE XXX MENSIS DECEMBER A. MDCCCLXXII

PHOTODUPLICATION

GUILLELMUS CILLER

D. D. D.

APPROBATIONE FACITUR

W. BERTHOLD  
J. BUCHNER  
M. J. J. J.

BONNAE

MDCCCLXXII



**VIRO ILLUSTRISSIMO**

**PRAECEPTORI DILECTISSIMO, SUMME VENERANDO,**

**CAROLO GUILLELMO WUTZER**

**PIO GRATOQUE ANIMO**

**D. D. D.**

**AUCTOR.**

VIRO ILLUSTRISSIMO

PRÆCEPTORI DILECTISSIMO, SINE RE VENERANDO,

CAROLO GUILLELMO WUTZLER

PIO GRATIÆ ANIMO

D. D. D.

A. G. O. R.



Notitias historicas, quae iam pridem recepta consuetudine in similibus tractationibus praemittuntur, omittere conor neque id quidem sine causa puto ea re, quod *Himly* \*) libro, qui inscriptus est, „historia foetus in foetu“ huius deformitatis historiam ab antiquissimis temporibus accurate tractavit.

Neque in animo habeo, exempla ab *Himly* collecta repetere, sed ea tantum hic enumerabo, quae post editionem libri *Himly* quidem publicata sunt, ea tamen re, quod talibus commentariis et magnis medicinae libris, qui propter haud parvum pretium in magni doctorum numeri manus raro pervenerunt, effuse continentur, in paucorum cognitionem tantum pervenerint.

Qua in compositione optatam absolutionem non assecutus sum, quod omnibus viribus adhibitis fontes duorum casuum comparare non potui. Pro iis autem, qui hanc rem ad se pertinere putant, hic accuratae horum fontium delationes, ut diligenter inquiri possint, afferantur. Alterum casum *von Ammon* \*\*), alterum *Vrolik* \*\*\*) attulit, uterque tamen paucis verbis.

In hac igitur tractatione ubi definitionem foetus in foetu, divisionem eorum, enumerationem omnium in regione sacrali observatorum tumorum, eorumque proprias notas paucis exposui et nonnulla de operativa tractatione concessa foetus rudimenta continentium tumorum commemoravi, casui nostro similes afferam, deinde accuratiorem casus nostri historiam, tumoris descriptionem, operationem et sanationem et anatomicam amputati tumoris descriptionem adiungam.

Ipsi rudi atque ignaro litteraturae de deformitatum genere mihi tractando, Cl. Dr. *C. O. Weber* non solum viam, qua sit ingrediendum, aperuit, sed etiam libros, qui ei praesto erant, libentissime ad perpetuum usum mihi dedit. Cum eadem liberalitate idem permisit, ut figuris ad privata eius studia factis Tabula II Nro. 1 et 2 ad propositum uterer. Pro hac liberalitate ei gratias, quam possim maximas, coram omnibus agere me obligatum puto.

---

\*) *E. A. Himly*, Beiträge zur Anatomie und Physiologie 2. Lieferung Hannover 1831.

\*\*) *F. Aug. v. Ammon*: „Die angeborenen chirurgischen Krankheiten des Menschen in Abbildungen dargestellt und durch erläuternden Text erklärt.“ Berlin 1842. pag. 47 heist es: *Prof. Kömm* in Grätz habe einen Fall von Intrafoetatio sacralis beobachtet, wo das den foetus enthaltende Kind 17 Jahre alt geworden, erst vom siebenten Lebensjahre an Schmerzen in der Geschwulst eingetreten, welche in unregelmässigen Zeiträumen sich wiederholend immer heftiger geworden seien.

\*\*\*) *Handboek der Ziektekundige ont leedkunde door W. Vrolik* II tom. Amsterdam 1842. pag. 406. „Dan weder is de uitwendig aan de bilestreek geplaatste zak ook in de bekken of buikholte door gedrongen, gelyk in de waarnemingen van *Schaumann* a) etc. — a) *C. E. Schaumann*, Dissertatio inauguralis sistens casum rariorum foetus in foetu. Berolini 1839.



*Himly*\*) hanc definitionem foetus in foetu affert: „Omnia ea conformationis vitia in numero foetus in foetu sunt, quae in congenita inclusione perfecta foetus aut foetus rudimenti, quamvis sit parvum, in alio corpore humano constant.“

Simillime a *Vrolík*\*\*\*) declaratur: „Foetus in foetu exstat, si homo natus fratrem geminum aut sororem geminam in diversis corporis partibus infixum et ab universo tegumento inclusum secum fert.“

Hae deformitates ex sede foetus inclusi in duo genera principalia dividuntur: Foetus magis aut minus excultus aut in normalibus cavis corporis, quod eum continet, inclusus est, aut in specie exteriori tumoris sub exteriori cute est, qui situs est in sacco vel proprio vel ex eadem formato. Huiusmodi inclusiones in his corporis cavis observatae sunt: In utero, in abdomine, in mediastino anteriore, in ventriculo, in tractu intestinali, in scroto, in orbita, in isthmo faucium\*\*\*). Locus autem, quo exteriores tumores se offerentes magis vel minus exculta foetus rudimenta adhaerent, item est diversus. Li enim in gena in cervice, in pectore, in regione umbilicali, in coxae, ossis sacri, coccygis regione observati sunt †).

Omnibus ceteris intrafoetationibus omissis, tumores tantum in ossis sacri et in coccygis regione paucis explanare volumus. Disquisitionem de physiologica et pathologico-anatomica originis ratione huius deformitatis accuratius non explicabo, partim quod iam *Himly* in libro supra laudato universas de hac resuspicias et elocutas theorias et sententias omnium, qui de hac re scire possint, autorum, quorum nullum tamen ad certum et ubique valentem exitum pervenit, enumeravit et criticam quaestionem instituit, partim praecipue quidem ea re quoniam satis idonea definitio causae et originis rationis eorum tam et ardua et difficilis est, ut aliquid certi et ab omni hypothesi soluti ad hunc diem dici vix possit. Itaque exitum anatomicae disquisitionis hic afferri satis habemus. Abdomine excepto regio sacro-coccygea frequentissima intrafoetationum sedes est. Infantes, his tumoribus affecti, ceterum bene conformati et satis exculti esse solent et apud eos aliud conformationis vitium raro observatum est. Qui tumores, si partus satis bonum exitum habuit, conformationi illorum corporum non absoluto impedimento esse solet, quod casus posteriores enumerandi perspicue demonstrabunt. Permulti tamen partim propter retardationem obstetricii maximam in partem tumore adductam, partim propter tumorem valde violatum in partu intereunt. Forma horum fere

\*) l. c. proëm. pg. II.

\*\*) l. c. pag. 389.

\*\*\*) *Vrolík* l. c. pag. 389. *Himly* l. c. pag. 12 ff.

†) *Himly* l. c. pag. 38. *Vrolík* l. c. pag. 403.



semper in basi lata insedentium foetus rudimenta continentium tumorum magna ex parte in universum rotunda, saepe capiti tam similis est, ut creberrime eos capitis indicia (ut *Burdach*\*) exponit, „rudes formationes verorum capitum“) in extrema columna vertebrali habendos esse putent. Si tumor diutius exstat, basis pondere tumoris trahitur, ita ut inter maximam eius partem et coniunctionis locum quasi colum oriatur. Superficies fere nunquam aequa, sed magis aut minus iniqua et eminentiis et cavationibus tuberosa inventa est. Explorando fere semper diversa corpora opposita sentiri possunt, alio loco saepe fluctuatio est, alio loco sensus cartilagosae aut osseae duritiae aut elasticae telae adiposae se praebet. Permultis casibus foetus rudimenta in sacco, qui tenui, molli, levi cute formatus et circumclusus est, sub integumentis normalibus ex corio regionis sacralis aut coccygeae aut perinaealis excultis inventa sunt. Superficies interior magna ex parte serosarum membranarum qualitatem habuit et etiam saepe serum purum in sacco inveniri potuit. Neque *Himly*\*\*\*) saccum ovum et liquorem, qui inest, liquorem amnii declarare displicet. Neque de sacco neque de liquore diiudicare mihi sumo. Saccum exstare, demonstrat etiam observatio a nobis postea uberius explicanda. Et *Vrolik*\*\*\*\*) dicit: „Fere semper saccus proprium tegumentum habet, de quo cutis infantis se extendit.“ Praecipue coniunctionis foetus rudimenti cum ferente corpore rationem haberi, necesse est. Ratio et via, qua haec coniunctio effecta est, quadruplex: 1) Tumor, qui foetus rudimenta continet, sola tela cellulosa vicinis partibus leviter adhaeret. 2) Magis aut minus crassus et fibrosus funis coniunctionem conformat et quidem: a) quod fibrosus funis in externum periosteum ossis sacri aut coccygis insitus est; b) quod in pelvis cavum ipse se extendens affixus est. 3) Solida ossea coniunctione ossis inclusi foetus cum osse sacro aut coccyge. 4) Ratio coniunctionis sub 2 et 3 memorata in uno eodem casu existere possunt. Quod ad diversas rationes coniunctionis attinet, afferri necesse est, eas quae telis cellulosis, rarissime, eas tamen, quae fibrosa funi in externum periosteum ossis sacri aut coccygis insitae sunt, saepissime esse observatas.

Foetus rudimentis sanguis aut vasis cutis, quae tum dilatata erant, aut directa communicatione cum arteriis pelvis interioris, interdum satis dilatatis ramis arteriae sacralis media allatus est.

Quod ad foetum in sacco inclusum pertinet, notandum est, eum nunquam plene excultum, eius vero partium maxime ossium systema idque imprimis excultum inventum fuisse. Plerumque fuerunt deformes carnis massae cum perfecte excultis manibus aut pedibus, pelvis ossa, femoris ossa, rudimenta singulorum aut coniunctorum ossium capitis, quae cerebrum habebant vel eo carebant, quae eadem ore, lingua, orbitis, auribus instructa erant, vertebrae, rudimenta viscerum et glandulae, sicut nonnunquam vasa lymphatica et nervi; hi tamen rarissimi inventi sunt, qui etiamsi exstent, semper maxime exigui inventi sunt.

Interior columnae vertebralis pars, sacralis et coccygis regio non solum foetus in foetu infigendi locus est, sed etiam gratissima et crebra sedes complurium aliorum, forma et figura quidem simillimorum, interiore vero parte diversissimorum tumorum, quorum iusta cognitio et distinctio non modo maximum

\*) Berichte von der königlichen anatomischen Anstalt zu Königsberg. Leipzig 1823. VI. p. 35.

\*\*) l. c. pag. 89.

\*\*\*) l. c. pag. 403.



litterarum commodum excitat, sed etiam et id quidem praecipue chirurgus practico maximi est momenti. Sola iusta horum tumorum diagnosi eam fiduciam comparare potest, quae sibi et clienti profutura sit, necesse est. Neque tamen inutile esse videtur, hic observatorum tumorum notas paucis verbis explanare.

Qui sunt hoc loco tumores citandi omnes nomen tumorum coccygeorum habent. Quorum natura duplex: 1) Profecti sunt e vitiis primae conformationis. Huc spectant a) Spina bifida cum hydrorrhachitide. b) Hernia dorsualis. 2) Neoplasmata sunt, quae iam per vitam foetalem se formarunt. a) Hygroma cysticum coccygeum congenitum cum diversissima textura. b) Fungus medullaris. — Spina bifida est vitiosus status congenitus columnae vertebralis, cuius partes mediae aut omnes aut ex parte tantum apertae neque ossificatione velamento, quod medullam spinalem tegit, inclusae sunt. Si cum hac fissura exsudatio serosa circum spinalem medullam coniuncta est, et procedente tumore externo cognosci potuit, hic status hydrorrhachitis cum spina bifida nominatur. Qui tumor ovatum, rotundam formam cum aequa et plana superficie habet et ubique dilucidam fluctuationem praebet. Magnitudo ex ambitu fissurae vertebralis est varia. Velamentum aut omnino a reliqua cute distinguit aut tam extensa est et extenuata, ut epidermis rubicunda appareat; aut cutis omnis deest et dura mater exterius tumoris velamentum est. Hoc in casu diagnosi facillima est et commutatio cum alio tumore, fluido translucente, cogitari vix potest. Sin velamentum reliquae cuti simile est, hae res ad certam diagnosin comparandam ducant, necesse est. Premendo enim tumor deminui potest, sed infantes dolent, spasmis et convulsionibus afficiuntur aut impressio cerebri apparet; nonnunquam, neque tamen semper, premendo tussis et vehemens respiratio efficitur. Si digitus immittitur, utraque vertebrarum non coalitarum margo magis aut minus perspicue sentitur. Candela post tumorem posita, per purum liquorem perlucet. Praeterea una cum hydrorrhachitide cum spina bifida magna macies, imbecillitas inferiorum extremitatum, paralysis eorum, fortuita urinae et excrementorum effluxio, spasmis et convulsionibus inveniuntur. Alia formationis vitia crebro cum spina bifida coniuncta, hydrocephalus internus, labium leporinum, palatum fissum, pedes vari exstant, omnia signa diagnosis habenda sunt. Difficilior est diagnosi et commutatio cum aliis tumoribus huius regionis facilius fit, si hydrorrhachitis cum fungosa degeneratione membranosorum velamentorum aut cum formatione cystium et hydatidum permixta est. Qua re hic plana et aequa superficie privatur, tuberosa fieri, et excavationes et eminentias praebere potest. In his difficilibus casibus attentae observatio omnis conditionis certissime ad rectam diagnosin assequendam ducit.

Prognosis huius tumoris sine ulla dubitatione est mala. Sanationis conatus operative facti, punctione, incisione, setaceo, ligatura, excisione, potius ad mortem accelerandam quam ad vitam propagandam valuerunt. Experientia constat, aptam et a laesionibus mechanicis munientem et leviter comprimentem fasciam hic solum adhibendam esse.

Hernia dorsualis congenita maxime raro apparet. Secundum Wernher\*) eadem ter tantum est observata. Eadem exstare non potest, nisi simul spina bifida adest. Semel eadem simul cum Hygromate

---

\*) Die angeborenen Kysten-Hygrome und die ihnen verwandten Geschwulste. Giesen 1843 pag. 65.



cystico congenito inventa est. Diagnosticae notae afferuntur: Rotundus, mobilis, mollis tumor iniquae, undiformis, tanquam intestinorum flexuras imitantis superficiei. Si materia removeri posset, atque in hac re gurgitationes exstarent, diagnosis statui posset. Prognosis huius tumoris est mala, quod simul spina bifida exstat. Aptam tamen fasciam si non sanare, tamen ne amplificetur, prohibere possumus.

Sed nunc ad tumores ex vitiosis structuris constantes transeo. Hygromata cystica coccygea congenita diversissimam texturam habent. Ea enim ex una, in communem system involuta, massa areola composita esse possunt, aut ex compluribus maioribus cystibus, aut ex permultis parvis cum crassis membranis constant, aut in sarcomatosa vel fibrosa massa iacent. Haec hygromata maximam in partem apud bene constitutos et exultos infantes observantur. Cutis est magna ex parte normalis; velociore tamen processu ita extendi potest, ut transluceat. Magna ex parte in linea mediana in osse sacro et in coccyge insident et inde super perinaeum et nates extendunt neque raro anum in adversam partem urgent. Non raro pro magnitudine infantis magnum circuitum assequuntur; in compluribus casibus\*) hygroma tantum inventum est, quantum caput et truncus infantis. Fere semper angusta basi insident et in piri aut lagenae speciem inter femora dependent\*\*). Rarius magnitudo eorum in omnes partes extensa est. Exterior eorum superficies pro textura diversissima est. Ea quae ex cyste composita sunt, planam, normalem, rotundam formam ostendunt, ita ut neque oculis neque tactu iniquitates intelligi possint. Hoc loco ubique fluctuatio adest, quae per totum tumorem pariter est divulgata. Ea, quae compluribus parvis cystibus continentur, tuberosiorem superficiem habent, fluctuatio maxime est varia. Si hic, quod creberrime fieri potest, vaginae singulorum cystium sentiri possunt, nullum de diagnosi est dubium.

Si cystes minimae sunt aut materia non tam liquida, quam solida, gelatinosa, pulvi similis est aut si membranae nimiam crassitudinem habent aut sarcomatosa materia superat, fluctuatio aut omnino deesse, aut huc et illuc exstare potest, cum alio loco cartilaginosa duritia sentiatur. Quo maior solida fibrosa aut sarcomatosa materia interiecta et quo minores cystes sunt, eo difficilius haec hygromata a tumoribus foetus rudimenta continentibus distingui possunt. Quae similitudo tam fallax esse potest, ut diligentissima disquisitio rem ostendere non possit, quod sola anatomica sectione fieri potest. Quamquam haec accurata distinctio magnum litterarum commodum praebet, ea tamen chirurgo practico minimi momenti est, cum ex nostra opinione unum genus horum tumorum eodem modo, quo aliud tractandum sit. Prognosis huius hygromatis cystici coccygei congeniti est bona. Experientia docuit, eas opportuno tempore operatione caute provideque adhibita feliciter extirpari posse. Ad comprobendam hanc rem, quae raro evenit, casus citetur, ubi *Osiander*\*\*\*) die secundo post partum propter magnam sanguinis effusionem ex tumore extirpationem instituit et vulnus post quattuor hebdomades sanatum est. — Rarissime tumores coccygei ex fungo medullari compositi sunt. De notis eorum apud autores nihil allatum est. *Himly* †) in valde permixto tumore sub-

\*) *Wernher* l. c. pag. 13.

\*\*\*) *Wernher* l. c. pag. 12.

\*\*\*) *Handbuch der Entbindungskunst* I. Bd. I. Abth. Tübingen 1818. pag. 757.

†) l. c. pag. 59.



stantiae corticali cerebri aut sarcomati medullari similem massam invenit, cuius color albo-subruber et soliditas minima fuit. Alium casum citat *Vrolik* \*). Prognosis huius maligni qui dicitur, tumoris est mala. Neque enim spem habere possumus, dyscrasin, quae tumorem procreavit et quae iam inerat tenero infanti, exstirpatione sanare. Attamen nequaquam dicam, operationem ad curam ex tempore instituendam conari non posse.

Nunc restat quaestionem disquirere, utrum, ubi primum tumor coccygeus foetus rudimenta continens cognitus est, tumor aliqua operatione removendus sit, et quo tempore haec remotio aptissime sit suscipienda.

Veteres autores fere omnes et sine ulla dubitatione tumores foetus rudimenta continentes exstirpandos esse non censuerunt aut operationem proferendam esse in id tempus, ubi tumor talem statum sit assecutus, quali operatio facienda indicatio vitalis sit.

*Vrolik* \*\*) dicit: „Experientia docuit, conatus foetus tumorem rudimenta continentem exstirpandi, prospere non evenisse.“ Pro hac sententia facit, cum apud infantem duos annos natum de tali tumore consultus, suaderet, ne quidquam facerent aliud nisi fascia idonea sustinerent.

*Wernher* \*\*\*) suadet, ne prius in talibus tumoribus operatio fieret, quam necessarii casus, velox incrementum, suppuratio, retentio urinae et faecium cogere.

*Von Ammon* †) operationem et a *Himly* ††) et a *Kömm* infeliciter suscepta nisus, in tumoribus foetus rudimenta continentibus operationem fieri non posse putat, si lata basi insideant, aut profundius siti videantur, et dolore sive inflammatione affecta sint. Attamen operationem fieri posse putat, si angusta basi insideant tumores, si dolore careant et quod duri inest, hic et illic moveri possit. Sententiae, qua in tumore inflammatione correpto operatio non sit concedenda, omnino assentior; basis lata et fundus profundus operationem sane difficiliorem reddunt et cautionem maiorem poscunt, attamen mea quidem opinione eam non omnino vetare videntur. Alia alii chirurgi sententia utuntur de concedenda operatione.

*Roser* †††) operationem esse subeundam censet, ubi sine nimia laesione et sanguinis effusione, sine nimia infantis agitatione ea fieri possit.

Quae operatio tamen non solum probata, sed etiam feliciter perfecta est a *Pitha*, *Thomas Blizard*, *Schuh*, ut relationes nostrae posteriores demonstrabunt. Verum pro tempore operationis variae eorum exstant sententiae. Cum *Blizard* tumorem infantis duos annos nati feliciter exstirparet, *Schuh* operationem talem in infante 15 menses nato usque ad tertium vel quartum annum proferre et *Pitha* in sex annos nato amplius etiam proferre voluit.

\*) l. c. pag. 408.

\*\*) l. c. pag. 406.

\*\*\*) l. c. p. 91.

†) l. c. p. 47.

††) l. c. p. 56.

†††) Handbuch der anatomischen Chirurgie. Tübingen, 1854. 2. Aufl. p. 215.



Singularis igitur censenda videtur operatio *Wutzer*, Viri Ill., in infante, qui duos tantum menses erat natus. De qua postea.

Operationem fere semper esse suscipiendam in tumoribus foetus rudimentis continentibus putamus. Ad hanc sententiam probandam rationes sunt: 1) Observationibus plurimis constat, tumores non solum ratione regulari cum corpore simul, sed persaepe, ut casu a nobis observato apparet, excessivo nisu quodam crescere. 2) Maxima matris infantibus transmissa cura prohibere non potest, quominus tumor urina et faecibus tangatur, quo inflammatio et suppuratio sacci facile excitatur. 3) Apud homines adultos frictio et femorum motus inflammationem efficere possunt. 4) Incremento nimio saccus qui tumorem circumdat dirumpi potest. 5) Qui tumores, si magno sunt circuitu, impediunt, quominus aegroti eant, sedeant, in tergo iaceant. 6) Praeterea efficiunt, ut aegroti conventus hominum fugiant; qua re animus deprimitur, educatio fit difficilior etc.

Pro tempore, quo operatio sit suscipienda, inter mensem secundum et sextum maxime idoneum esse videtur. Incremento in dies aucto, aut inflammatione et suppuratione vel etiam ruptura imminente, aetas tenuior per se ipsam non impedit, ne operatio adhibenda sit. Operationem diutius proferre eo quoque non aptum puto, quod pro certo rarius constituere possumus, quo usque tumor sine inflammatione aliisque in discrimen vitae vocantibus casibus liber restet et quod, quo diutius operationem dilatamus, ut infans maiori vi operationis actui obstet, tandem eo maior tumoris circuitus fiat. Quare operationis tempus nimis protractum organismo infantis perniciosum esse potest. In eo casu tantum operationem prolaendam puto, ubi observatio satis diuturna probasset, tumoris volumen plane non, aut quidem paullo tantum augeri.

Quod ad operationis methodum spectat, inter *ligaturam* et *exstirpationem* eligi potest. Ligatura in his tantum casibus suscipi potest, ubi tumor angusta basi insidet. Caeterum omissis iis, quae saepius sequuntur ex ligatura, progressus gangraenae in vicinas partes, vehementes dolores et convulsiones, — ea re periculosior fit, quod accuratiorem investigationem situs interioris et connubii cum partibus vicinis prohibet. Accuratus conspectus huius connubii autem ea re necessarius est, quod etiam diligentissima disquisitio coniunctionis tumoris cum visceribus abdominis vel pelvis saepissime nihil affert certi. Itaque exstirpationem non modo optimam, sed etiam solam operationis methodum putamus, quae concedenda sit. — Nunc ad exempla a nobis collecta transeamus.

---

### Casus I.

Prof. *Pitha*, ein merkwürdiger Fall von Doppelbildung (foetus in foetu\*). Anno 1837 *Pragae*

---

\*) S. Vierteljahrsschrift für die praktische Heilkunde. Bd. XXV. Prag 1850.



puella sex annorum, quae deformitate congenita excepta, bona valetudine formaque usa est, physicorum qui ibi convenerant, Germanorum oculis proposita est. Haec autem deformitas ex tumore, cuius magnitudo fere capitis erat, constitit, qui in speciem enormis, ovali, normalique cute oblecti sacci ex regione sacrali parvae puellae dependit, quacum brevi stipite, duos digitos crasso, ita coniunctus erat, ut si puella procederet, motibus quasi perpendiculi femora et suras infantis pulsaret. Quod ad tegumentum pertinet id stipite, cute circumdato quasi mucosa, excepto [reliquo corporis tegumento fere similis erat tumoremque laxè velavit. Qua re factum est, ut cutis usque ad infimum circuitum deformitatis ab interiore, stabili, nunquam fluctuante massa pluribus rugis tolli posset. Diligentiore inquisitione adhibita in interiori parte rotundarum atque ossearum rerum copia fuit. In infimo autem circuitu nonnulla perspicua digitorum manus vel pedis indicia fuerunt. Quae omnia cum adessent, a medicis inquirentibus tumor foetus in foetus habitus est. Sed cum intelligi non posset, quomodo haec deformitas cum pelvis organis praesertimque cum columna vertebrali esset coniuncta, omnes, qui aderant, nullam operationem esse usciendam censuerunt. Pater cum medicos omnes hac deformitate teneri cognovisset, per decem annos ad quaestum sibi comparandum filiae calamitate usus est. Puella sedecim annos nata, mediocri statura pulchraque forma cum aliis hominibus esse nollet spectaculo praesertimque perpetua excoriatione magno dolore afficeretur in *Pragae* clinicum, ut a molesto tumore liberaretur, recepta est.

Hoc tempore tumor tanto circuitu fuit, ut, puella se erigente, de suris dependeret. Quo in statu longitudo totius appendicis fuit 26<sup>u</sup>; diametros eo loco, quo tumor crassitudinem habebat maximam, occupavit circiter 12<sup>u</sup>; hoc ipso loco circuitus fuit 25<sup>u</sup>. Quod autem ad pondus tumoris attinet, pondo viginti libras valuisse dicitur. Stipes longus 2<sup>1</sup>/<sub>2</sub><sup>u</sup>, cuius crassitudo et rotunditas cum brachio habebat maximam similitudinem, ex profunda ruga tanquam ex aedicula regionis sacralis apparuit. Ea autem pars, quae stipiti proxime erat sita, cum ad hemicycliam massam subito accrevisset, maximam similitudinem perfectae expletaeque mammae praebuit, quae papillae simili eminentia in media parte aucta est. Quae pars mammaris sulco totum circuitum circumcingente a maxima tumoris parte disiuncta fuit. Infima autem pars e angustissima perspicua rudimenta duorum coalitorum pedum cum perfectis digitis expletisque unguibus praebuit. Cutis hyperthrophica cum item hyperthrophica et sclerosa subcutanea tela cellulosa fere ubique coalita erat, ita ut de telis inclusis nullo modo diiudicari posset. Modo huc et illuc rebus oppositis ossa significata sunt. Tumor ipse partim normalem speciem habuit, partim rubicundulo colore fuit, temperatura aucta. Aedicula autem, ex qua stipes apparuit, in coniformem coarctatum canalem formavit, qua in superiore parte undique fornicatim curvata fuit, cum reversa cutis modo serosarum vaginalium in stipitem reverteretur. Cum autem tumor tangeretur, supra extremam aediculae curvationem imperfecta quaedam motio cognosci potuit. Qua ex re manifestum fuit, intra pelvis cavum articulationem tumoris cum alio ossa fuisse. Praeterea pelvis ceterum normaliter constituta duo anomalia praebuit. Inferior enim ossis sacri pars in longum et satis mobile os, tanquam in longum coccygem, finivit. Utrobique autem fuerunt amplae ossium lacunae, quasi magnae incisurae ischiaticae, quarum sinistra usitato tegumento simpliciter velata perspicuam cavationem praebuit, cum dextra hernioso at non reducendo tumore impleta esset. Nulla alia monstra aut functionum impedimenta detecta sunt. Currente deinde anno die X mensis Maii operatio in-



stituta est. Cum appendix magnam amplitudinem consecuta esset, facile intelligi potuit, vasorum systema vehementer crevisse. Praeterea autem grave ex pelvis cavo prolapsum membrum deesse sine ulla dubitatione constitui non potuit. Itaque operatio maxima cum cautione suscipi debuit. Qua re constitutum est, ut exstirpationem neque in suprema parte, ubi erat aedacula obscura, fieret neque una forti sectione perficeretur.

Inter mammas et maximum tumoris partem, ponte circiter 2<sup>o</sup> relicto, sectionibus arcuatis et sursum versis usque ad os incisum est. Deinde cute in altitudinem 1<sup>o</sup> soluta ponteque anteriore cito separato vasa lumine caulis pennae sanguinis profusionem ediderunt, quae protinus arteriae magnae ligatura et compressione duarum venarum, suppressa et os serra praecisum est. Arteria autem ligatura circumdata lumen brachialis viri robusti habuit. Crassus autem et rotundus lobus, qui totam mammas continuit, ad vulnus tegendum quattuor cruentis suris coniunctus est. Tumor exstirpatus vasis venosis magnis exhaustis septem et decem libras pondo valuit. Disquisitio anatomica haec ostendit: Cutis nonnullis inflammatis et excoriatis exceptis locis fuit normalis et ubique hypertrophica. Tela cellulosa texturam praebuit raram. Tota autem massa, structura ossea excepta, ex denso et flavo-albo hinc et illuc sero, quod colore carebat, tincto adipe composita fuit. Quam texturam praepinguem multae arteriae praecipueque magnae venae impleverunt. Arteriarum et venarum rami cum vasis cruralibus perspicuam similitudinem praebuerunt. Duo magna vasa lymphatica in proximo exstirpationis loco in adipe iacebant. Ossa autem simplex femur cum duobus imperfectis cruribus et pedibus praebuerunt. Os femoris in superiore praecisione substantiae corticalis et massae medullaris normalem naturam ostendit. In inferiore parte duo condyli et duae glenoideae superficies fuerunt ad crura coniungenda. Haec autem ex dextra satis perfecta tibia et fibula et tertio fibulae simili osse composita fuerunt. Pedis ossa, quae cruribus adiuncta fuerunt, ex dextro et fere omnia elementa naturalia continente et ex sinistro pede non satis exculto composita erant. Ossa superiore femoris parte excepta prorsus marcidissima erant. — Quomodo post operationem factam sanatio processerit. — Reactio, quae secuta est operationem, prioribus quinque diebus mediocris fuit. Puella ipsa, doloribus vulneris exceptis, bene se habuit. Lobus autem, qui magna ex parte per primam intentionem coactilis fuit, postea solutus est, ita ut totius vulneris superficies late pateret. Sexto, septimo, octavo die cum dosis chinini ei data esset, febris intermittens quotidiana evanuit. Quamquam autem vires, febris connectae, nutrimentis roborantibus manifesto meliores factae sunt, sanatio tamen lente et paulatim effecta est. Contractio cutis exoptata non evenit partim propter gangraenosam ulcerationem vulneris, partim propter materiam, quae haud mediocriter effluxit. Rigidus et tumens truncus prohibuit, quominus excoriatio ad cicatricem duceretur. Sin autem totus truncus praecisus esset, facillime res ad bonum exitum pervenisset. Sed accidit, ut aegrotans die XV mensis Iulii graviter caderet et gravem trunci laesionem acciperet, ut die sequente, colore sanguinolento gangraenesceret. Sed cum intra cutis aedaculam circa stipitem ligatura esset subiecta, totus truncus inter sex dies emortuus est. Ligatura cum usque ad os in toto circuitu praecidisset, serra discisum est. Qua re non solum id, quod reliquum fuit deformitatis, sublatum, sed etiam apta, simplex, aperta exstirpationis forma restituta est, quae ad cicatricem celeriter est ducta.



## Casus II.

*Edw. Stanley* on congenital Tumours of the pelvis\*).

*Thomas Blizard* hanc rem narrat: „Mater quaedam puellam fere duorum annorum mihi attulit, quae affecta erat tumore, qui ossi sacro adhaerebat atque inde usque ad pedes dependebat. Accurata disquisitione, quae digito in intestinum rectum immisso facile effecta est, satis dilucide apparebat, tumorem cum interioribus canalis spinalis cavis coniunctum non esse operationemque suscipi posse. Maxima cum cautione cutis praecisa et discissa est, ut ad vulnus tegendum satis reliquum esset et coniunctio simplici sutura fieri posset. Cum integumenta tumoris sublata essent, massa se ostendit, quae ut postea cognoscere potuit, pars viscerum nigro colore erat. Hic autem color ortus erat e materia, quam disquisitione sequente maxime similem esse meconio apparuit. Initio haec res magnum animis timorem iniecit. Sed cur accurata disquisitio, digito in rectum immisso, adhibita esset, tumorem cum abdominis vel pelvis cavo coniunctum non esse, bene cognitum est. Itaque operatio persecuta est. Discissae partes prima intentione coniunctae sunt. Hac operatione peracta, inter dies XIV puella ex operatione se recreavit et ire potuit quod antea magno tumoris pondere impedita non potuerat. Multis annis praeteritis mater eius certior me fecit, filiam pulchram puellam adolevisse et aetatem XII annorum assecutam esse, qua aetate tuberculosi confecta obiit.

Descriptio anatomica. Cutis normalis tumorem tegebat cuius forma erat oblonga, longitudo 7<sup>4</sup>; circuitus, ubi latissime patebat, 11<sup>4</sup>; finis inferior fere erat rotundus et cutis fissuris in varias partes discissa erat, quas rudimenta digitorum in manibus aut pedibus fuisse crediderunt; intra superiorem tumoris partem proxime sub cute atque in ipso loco, ubi tumor cum corpore erat coniunctus, ut in incisionem ad eum removendum factam includeretur, ea viscerum pars erat, quam supra memoravimus, longitudo erat 3<sup>1</sup>/<sub>2</sub><sup>4</sup> forma eius partis intestini crassi cum appendice vermiformi, quae perfectam formationem habebat, et intestino crasso et appendici foetus maturi similis erat. Superficies interna viscerum rugas normales et ovatas formabat. In exteriore superficie viscera densum cellulose nexum, dura materia circumdatum, habuerunt, ex qua cetera tumoris pars composita erat. Haec autem materia in diversas partes erat divisa determinata, globosa, quarum una mali aurantii Sinensis forma, aliae minoribus dimensionibus erant, quae omnes ex densa fibrosa que tela constabant. In tela cellulosa, quae hos fibrosos tumores coniunxit, pars ossis, fere magnitudine ossis lacrymalis, inventa est. Haec autem ossis pars nullam cum ullo osse skeletoni similitudinem praebuit.

---

\*) S. Medico-chirurgical Transactions. Tom. XXIV. London 1841. pag. 231.



### Casus III\*).

*Vrolik* haec nobiscum communicat: Dr. *S. Holm* anno 1846 die XXX mensis Novembris *Amstelodami* ad feminam viginti et octo annos natam, quae iterum edidit partum, vocatus est. Haec igitur femina post partum quamvis retardatum, sine artificio tamen perfectum, infantem, qui tumorem caccygeum habebat, in lucem edidit. Neonata etsi ceterum bona valetudine fuerit, in interiore pelvis parte tumorem, latera-liter pone anum situm, tulit. Qui tumor cum interiore ossis coccygis parte, stipite tactu molli coniunctus fuit. In erecto puellae statu tumor de femoribus posterioribus dependit, et valde mobilis erat. Quod ad tegumentum attinet, normali cute et colore fuit laeto; tumor formam globi compressi ostendit cum superficie hic et illic tuberosa. Nonnullis locis mollis et fluctuans, aliis locis durus esse videbatur. Tangendo dolore non est affecta. De nexu incertus, quem tumor cum vertebrarum canali forsitan haberet, nec non ignorans, utrum vasorum quaedam esset communio cum corpore infantis necne, ab omni resectionis tenta-mine abstinere suasi. Infans interea sanus remansit omnesque eius functiones organicae bene procedebant. Chirurgus interdum quovis mense tumorem mensuravit, quo patuit, eum regulari ratione cum corpore increcere, sed collum paullulum longius esse factum propter extensionem ab eius pondere ortam. Infans bene valuit usque ad diem VIII mensis Octobris anni 1847, quo casu fortuito succubuit.

Disquisitio anatomica. Nobis patuit, tumorem funiculi aponeurotici ope coniunctum esse cum coccyge et cum parte inferiore ossis sacri et supra eum dispergi fibras musculares valde elongatas e musculo levatore ani natas. Intestinum rectum tumore non continebatur, sed super eius superficiem decurrebat. Tumor nonnullas venas ex infantis pelvi exceperit. Cum sectio per longitudinem facta esset, facile intelligi potuit, eum praecipue telis adiposis, quae microscopio adhibito normalem naturam praebuerunt, esse compositum. Neque minus singulae fibrae musculares observatae, quae sub microscopio speciem disiunctarum vertebrarum praebuerunt. Prope iis duae cartilagosae protuberantiae exstabant; paullum posteriorem partem versus fuit nucleus osseus, in quo sub microscopio normales cellulosae systematis ossei apparuerunt. Cuncta haec simul cum adessent, manifestum est, nullum adesse lipoma, sed imperfecta primordia secundi foetus esse, qui adhaesione cum alterius infantis corpore coniunctus erat, et huic deformitati revera nomen foetus in foetu debere.

---

### Casus IV.

Prof. *Schuh* \*\*) ein Kopfgrosser rudimentärer Foetus auf dem Steissbein aufsitzend und glücklich durch Extirpation beseitigt.

\*) *W. Vrolik*, Tabulae ad illustrandam embryogenesisin hominis et mammalium tam naturalem quam abnormem. *Amstelodami*, 1849. Tab. C.

\*\*) *S. Wiener Medic. Wochenschrift*. Fünfter Jahrgang Nro. 51.



Prof. *Schuh* hanc rem tradit: Anno 1846 puella quindecim menses nata in scholam allata est, quae cum tumore, magnitudine ovi gallinacei, in lucem edita erat. In tumoris superficie duae parvae fissurae apparuerunt, ex quibus parva protuberantia eminuit. Cum autem infans adolesceret, tumoris ambitus in dies magis magisque accrevit.

*Symptomata.* In regione ossis sacri erat tumor, qui et magnitudinem capitis infantis et similitudinem cum capite habuit. Tumor patuit ab extrema lumborum vertebra usque ad anum atque inde in omnes partes se extendit. Cuius superficies tuberosa et tumor ipse cute hic et illic cicatricosa tectus erat, quae nonnullis locis crinibus erat instructa. In superiore tumore conspectum est foramen amygdalae magnitudine, ex quo mobilis in linguae speciem massa eminuit. Itidem in inferiore apparuit simile quidem tamen rotundum foramen, quod maxima ex parte mollis, elastica in vesicae speciem materia impletum erat. Haec autem fossae tenui, sebo cutaneo similem liquorem secernente cute vestitae erant. Tumor nonnullis locis mollem, aliis durum se praebuit; vis elastica magna; fluctuatio nusquam inveniri potuit; neque ulla ratione infans tactu indoluit. Exploratione per rectum facta, os sacrum habuit normalem formam, coccyx contra crassatus, externa pars convexa. Interior huius ossis pars retro et sursum versus tumorem curvata erat. Tumorem autem cum coccyge artissime esse coniunctum, perspicue ex eo apparuit, quod nullo modo moveri potuit. Sed cum tumor esset nimis atque artissime coccygi adhaereret praesertimque cum infans esset tenera aetate, operatio non facta est. Itaque mater est admonita, ut infantem, cum aetatem quatuor annorum esset consecuta, reduceret. Haec autem consilio medicorum non paruit, sed filiae deformitate ad quaestus sibi constituendos usa est. — Cum igitur hoc consilio *Vindobonam* anno 1855 esset profecta, vix est effectum, ut infantem in clinicum recipi pateretur. Puella usque ad hoc tempus bona valetudine fuerat. Tumor eadem ratione cum corpore accreverat; neque unquam dolorem effecit neque ullius molestiae causa fuit. Hoc ipso tempore tumor fere capitis puellae magnitudinem assecutus est; basi lata in osse sacro et coccyge insedit. Ceterum appendix eadem forma, qua fuerat ante septem annos. Duo foramina cute vestita, quae supra memoravimus, in caecos canales desierunt atque in profundo superiore autem duo satis perfecti dentes in lucem prodierunt. Tactu autem valido osseae atque abnormes partes sensae sunt. Uno loco acutus horum ossium processus plane sentiri potuit. Exploratione autem per rectum rationes eadem inventae sunt, quae antea. **Structura spinae dorsualis nihil abnormitatis praebuit; alvus soluta; excretio urinae non impedita; conditio omnis fuit bona.** Omnia cum indicia, quae connexum adesse cum spinae canali demonstrarent, deessent, neque certum esset, quam lata et crassa fuerit ossea coniunctio, operationem diligenter cauteque esse faciendam, satis intellectum est. Eadem die XVI. Martii mensis anni 1855 suscepta est.

Tumor enim duabus ellipticis sectionibus, quae cutem disciderunt, circum ambitum praecisus est, ita ut cutis servaretur, qua magnum vulnus circumvelari posset. Sanguinis effusio ex dilatatis vasis fuit magna. Cum igitur molles tumoris partes cum ossibus, quae nunc sentiri potuerunt, maxima ex parte discissae essent, funis complures lineas crassus et in medium os sacrum directus apparuit et rectis angulis osseus processus in coccygem insitus, cuius crassitudo fuit parvi digiti. Funis propter curam profusionis sanguinis ante sectionem deligatus est. Osseus processus serra praecisus est et ita operatio perfecta.



Cum coniunctio sutura huc et illuc tantum perfecta esset, vulnus suturis et filis demptis aductum est et mediocriter suppuravit. Post unum mensem, hac operatione peracta, vulnus semper purum manere incepit, deinde aliquanto deminutum velociter ad cicatricem venit.

Anatomicae disquisitionis exitus perspicue docuit, tumorem fuisse rudimenta foetus, sed maxime imperfecta. Neque cute circumdata neque ab iis, quae circumiacebant, perspicue fuit divisus. Ossium structura fere in medio sita tabulam tenuem et fere 3<sup>a</sup> longam praebuit, quae ab interiori osse sacro paribus intervallis inter se distabant. Praeterea complures parvos nodososque processus habuit. Nullam autem similitudinem cum aliquo sceleti osse detegi potuit. Stipite iam supra commemorato et uno processu coniunctio erat cum osse sacro. De uno processuum dependit dens, ante operationem non inventus. Telae adiposae multis solidis fibrosis funibus compositae maximam tumoris partem formarunt et ossium structuram circumdederunt. In telis adiposis ad pisi magnitudinem puro liquore impleta vesicula, deinde duo discissa, fere 4<sup>a</sup> longa rudimenta perfectorum intestinorum observata sunt, in quibus sub microscopio excellentissimi villi cognosci potuerunt. Omnia vasa extrinsecus apparuerunt; nulla circulationis apparatus vestigia fuerunt; attamen nonnulli nervi usque ad magnitudinem olfactorii certa via carentes.

---

### Casus V.

Nunc ad descriptionem tumoris coccygei transeamus, qui ab Ill. *Wutzer* in clinico chirurgico Bonnensi feliciter extirpatus est.

Die primo mensis Octobris 1853 in pago Oberzündorf ad Rhenum sito prope Coloniam Agrippinam ceterum bene constitutus et excultus cum tumore in sacrali regione puer natus est. Tumor partum nullo modo impediverat, ita ut et mater et obstetrix eum adesse prius non cognoscerent, quam puer ablueretur. Obstetrix, hac deformitate perterrita, protinus medicum arcessivit. Cum a medico aegrotam tractante, Dr. *Geller*, fratre, propter huius deformitatis raritatem adduceret, tumorem iam nonnullis horis post partum observandi mihi occasio data est. Tumor magnitudinem mali aurantii Sinensis habuit; in interiore osse sacro dextro insedit: tenui, molli, rubra, translucente cute detectus; e summo tumore sinistra parte duo digitis similes ac tenues processus, unguibus praediti emiuerunt. Femina, quae deformitate perterrita omen suspicata est, hac spe solata est, tumorem extirpari posse. Non solum matri, verum etiam obstetrici medicus suavit, ut tumorem accurate a contusione et pressu custodirent, deinde observarent, si tumor augetur. Quo facto, se huius rei certiores facerent. Puer semper bona valetudine usus est et tumor ipse accrevit et maiore quidem ratione, ut tenuis cutis non aequabiliter concrevens in tumore summo rumpebatur et compluribus in diversas partes fissuris magis magisque convolveretur. Propter accrescentem tumorem frater matri suavit, ut de operatione Ill. *Wutzer* adiret. Die XXI. mensis Novemb. mater cum puero in clinicum chirurgicum recepta est. In itinere puer parva refrigeratione et hac re catarrhali tussi



et diarrhoea affectus est. Diarrhoea primis diebus in clinico est remota. Accurate calefaciendo et sumendo infuso specierum pectoralium et syrupo althaeae et tussis et catarrhus evanuit.

Descriptio tumoris die tricesimo mens. Nov. Hoc tempore tumor (cf. Tab. I Fig. I A.) magnitudinem infantis capitis assecutus est, situs convenit ex longitudine fere ossi sacro; sed magis in dextram, quam in sinistram partem se extendit. Diametros longitudinalis est 4''; diametros transversa 3 $\frac{1}{2}$ ''; ambitus basis est 7'' 2''; ambitus maximus 8'' 1''. Infantis normalis cutis, quae post partum tumorem plene obtexit, incremento tamen tumoris et extentione hac re facta iam supra memorata, brevi scissa erat et in dies se subtraxerat, perpetua frictione, perpetuo contactu urinae et excrementorum, qui quamquam mater puerum diligenter coluit, omnino tamen prohiberi non potuit, ex parte inflammata et gangraenosa emortua est, ita ut pars reliqua, sana, tenuissima, conglomerata quasi praepitio circumdet. Cfr. Tab. I. Fig. I. BB. Propria tumoris cutis specie et qualitate normalis cutis est. In summo tumore sinistrae partis duo plene exculti digiti prominent, cf. Tab. I. Fig. I. E. F., qui de forma digito medio et indici similes sunt et moveri possunt sine ullo infantis dolore. Intra tumorem digitis coniuncta particula ossea longitudine  $\frac{1}{2}$ '' et crassitudine 1 $\frac{1}{2}$ '', per transversum supra os sacrum sita sentitur, cui angulis obtusis similis particula adiuncta est. His ossium particulis exceptis tumor tactu est mollis; uno loco fluctuatio non satis apparet, temperatura tumoris est similis temperaturae reliqui corporis. Coniunctio cum corpore verisimile in synchondrosi sacro iliaca dextra est; constitui tamen plane non potest, eam fibrosa ex massa compositam esse; solidissima non est, cum tumor prope pelvim moveri possit.

Distinctione singulorum regionis sacro coccygeae tumorum supra constituta, in hoc casu restat distinguere, utrum hygroma cysticum congenitum, an foetus in foetu adsit. Forma et materie et incremento et unum et alterum esse posset. Sin animo consideremus, tumorem cum tota propria cute tectum esse plane normali infantis cute, quod in cyste numquam adest et in cyste nusquam perfecte et normaliter exculta membra observari, quae tamen sine dubio digiti sunt, tumorem foetum in foetu habere non dubitamus. Anatomica tamen disquisitio de hac re nos docebit.

Cum perpetuum tumoris incrementum et imminens eius inflammatio cum iis, quae sequuntur, infantis vitae in dies magis pernicioosa fierent, Ill. *Wutzer* operationem solam ad infantem servandum suscipiendam esse cognovit eamque tam caute quam animose instituit die XXX. mens. Nov. 1853.

Cum assistens Cl. Dr. *C. O. Weber* tumorem tota manu comprehensum tolleret, Ill. *Wutzer* plicam cutis, quae tumorem extrinsecus involvebat, manu sinistra retraxit eamque prope basin tumoris scalpelle separavit, ita ut lobus exterior ad vulnus tegendum servaretur; postea tumorem hemiellipticis sectionibus in summa et in infima parte concurrentibus complectebatur. Basi tumoris deinde iam magna ex parte denudata acu filum duplex per stipitem tumoris fibrosum deductum et tum utraque fili pars in utraque stipitis parte clausa et nodata est. Hoc modo sanguinatione prohibita tumoris radix cultro abscissa est. Ita haec iam plane denudata demonstravit, nullam adfuisse coniunctionem cum reliquo corpore, nisi particulam quandam osseam cultro divisam, cuius altera pars in tumore ipso reperta est, altera autem in vulnere remissa evidenter cum osse sacro articulatione coniuncta erat. Una tantum arteria sanguinem edidit et ligaturam necessariam reddidit; digitus immissus hoc ossiculum sequens pelvis aperturam posteriorem intravit et sic ab ante-



riore et sinistro ossis sacri latere illud profectum esse reperiebatur. Cum vero periculosius haec quoque removeri videretur, tum cutis lobi reservati supra vulnus commode extensi sutura circumvoluta consuti sunt.

2. 12. 1853. Operatione infans paullum affectus esse videbatur; protinus avide mammam suxit. Parvis intervallis exceptis semper usque ad vesperum alta voce clamavit. Vesperi gtt. I. tinct. opii ei data est, qua re noctu satis quievit; mane tamen tam inquietus et agitatus, ut die hesterno. 3. 12. 53. Praeterita nocte infans minimum dormivit, et mane valde affectus est. Acus exemptae et manentes fili collodio liti cunt. 4. 12. 53. Noctu maxime fuit agitatus 5. 12. 53. Conditio eadem, quae die hesterno. Itaque praescriptum est:

R. Infus. cort. chinae frigide parat. (3jj) 3jj.

Infus. fl. chamomillae 3jj.

Tinct. opii simpl. gtj.

Syr. simpl 3jj.

MDS. 2stündl. 1 Theek voll zu nehmen.

6. 12. 53. Praeterita nocte infans quievit et bene dormivit. Mane bene se habuit et contentus esse videbatur. Vulnus bonam speciem praebat. 8. 12. 53. Superior vulneris pars, quae iam cicatricem excepisse videbatur, rescissum est, ita ut coniunctio emplastri adhaesivi fasciis facienda sit. 5. 1. 54. Cicatrix perfecta esse videbatur, cum sinistra et superiore parte vulneris magnus abscessus oriretur, qui seminis lini cataplasmatibus ad maturitatem perductus est.

Ante nonnullas etiam hebdomades mihi fuit copia, ipsissimis oculis pueri illius videndi et intelligendi eum usque ad hodiernum diem semper bona valetudine frui et sanum, validum, robustum puerum esse.

Disquisitio anatomica. Tumoris disquisitio anatomica duce et auxilio Cl. Dr. C. O. Weber instituta maximam in partem constitutum eum monstravit ex adipe sicut in lipomatibus invenitur (cf. Tab. II. Fig. II. AA. Fig. III. AA), qui fibris ligamentosis radiatim et arcuatim excurrentibus continebatur. In suprema tumoris parte ab eius basi maxime remota cystis inventa (cfr. Tab. II. Fig. III. C.) est, ovi anseris magnitudinem circiter referens, fluidum serosum ac limpidum continens, pondo duas uncias valens. Quae cystis nullum proprium fibrosum velamentum habuit, sed tela epitheliali tantum, sub qua multa capillaria vasa in telas fibrosas cellulosas decurrerunt, circumclusa fuit. Disquisitio microscopica facta continentis fluidi monstravit, praeter fortuito admixta sanguinis corpuscula rudimenta epithelialia et nonnullas cellulas adipe granuloso repletas exstitisse.

Disquisitio chemica a Prf. Boedecker instituta, quae iam antea a Cl. Dr. O. Weber \*) publicata est, haec ostendit. „Die Flüssigkeit enthält weder Pysin noch Fibrin, noch endlich Albumin; sie wurde von Salzsäure kaum merklich getrübt, während sonst viel verdünntere Albuminlösungen von derselben Säure ge-

\*) Notiz über einen Foetus in foetu und das Vorkommen von Paralbumin in einer Cyste der Geschwulst. S. *Virchow's Archiv.* VI Bd. p. 522.



füllt wurden; ferner bewirkte Essigsäure, mochte sie in sehr geringer oder in grösserer Menge zugesetzt sein, beim Kochen keine Abscheidung von Albumin, sondern die Flüssigkeit wurde dick, schleimig, kleisterartig, auch wenn sie vorher mit dem dreifachen Volumen Wasser verdünnt, und dann mit etwas Essigsäure gekocht wurde, nahm die vorher dünnflüssige Masse eine schleimige Beschaffenheit an, blieb jedoch völlig klar.<sup>4</sup>

Compositione quantitativa huius fluidi constituta, haec apparuit:

a) „5 Gramme der filtrirten Flüssigkeit lieferten beim Verdampfen 0,195 Gr. festen, bei 110°C. getrockneten Rückstand.

b) 0, 175 Gr. dieses festen Rückstandes hinterliessen beim Verbrennen 0,039 Gr. feuerfeste unorganische Salze.

c) 7, 370 Gr. Flüssigkeit, in der angegebenen Weise succesiv mit Essigsäure, Kali und wieder mit Essigsäure erhitzt und filtrirt, lieferten nach dem Trocknen bei 110° C. 0,236 Gr. Paralbumin.

Nach c beträgt d. Menge d. Paralb. in der Flüssigkeit 3,2 p. Ct.

— a — — — d. festen Bestandtheile im Ganzen 3,9 p. Ct.

— b — — — d. unorganischen Salze 0,8 p. Ct.

also nach Abzug der unorganischen Salze von der Gesammtmenge der festen Stoffe  $(3,9 - 0,8) = 3,1$  p. Ct. für die organischen Stoffe der Flüssigkeit übrig, welche Zahl mit der für das Paralbumin in c direkt gefundenen fast genau übereinstimmt; folglich enthielt diese Flüssigkeit keine Extractivstoffe, die durch Essigsäure nicht beim Kochen coagulirt werden.<sup>4</sup>

Prope basin coniunctum cum illis iam supra descriptis digitis os quoddam repertum est. (Cf. Tab. II. Fig. II BC. Fig. III BC.) Quod os tumoris basi apophysin cauliformem (cfr. Tab. II. Fig. II B.) partim cartilagosam partim osseam et spongiosam emisit, quae apophysis in operatione cultro divisa tumoris ossa cum osse sacro coniunxit. Quoad ossis ipsius formam haec basin praebuit polygonalem, multiformem, nodosam, tuberculosam, pluribus apophysibus hamatis et uncinatis praeditam (cfr. Tab. II. Fig. II. B. Fig. III B.) quae pars maxima ex parte cartilaginosa media tantum pluribus ossificationis centris instructa. Hac ex parte ad tumoris superficiem planum quoddam et in lateribus tantum ossificatum os prodiit, (cfr. Tab. II. Fig. II. C. Fig. III. C.) quod in parte anteriore cum duabus primis phalangibus digitorum descriptorum coniunctum erat: digiti enim ipsi tres praebuerunt plane excultas et bene formatas phalanges, quae et inter se et cum osse descripto plano articulationibus plane normalibus non modo cohaerebant, sed etiam ut neonati infantis phalanges et diaphysin cum nucleo osseo et apophysin monstrarunt. (Tab. II. Fig. II. DEF. Fig. III DEF.) In apice digiti unguis sinon planos, verum coniformes (Tab. II. Fig. II aa. Fig. III aa.) Si totam osseam tumoris partem cum aliqua normali comparare volueris, tum manus incompletae indicia recognoscere poteris pars enim illa nodosa et hamata carpum admodum paene refert, os vero planum ossa duo metacarpalia coalita involvit. — Praeterea adhuc notandum est, tumoris cutem in parte inferiore appendicem mollusci similem praebuisse. (Cfr. Tab. II. Fig. II. G.)



## V I T A .

---

Natus sum *Guilelmus Geller* Arevillae die IV. mensis Octobris anni MDCCCXXIX patre *Joanne Georgio*, matre *Maria Helena* e gente *Schopp*, quos ambos etiam superstites veneror. Primis litterarum elementis domi imbutus ab anno MDCCCXLII septem per annos et dimidium gymnasium catholicum Coloniae Agrippinae frequentavi. Vere anni MDCCCLI Essendiae testimonio maturitatis munitus hanc almam litterarum sedem petii et a Rectore Magnifico *Argelander* die tertio mensis Maii in numerum civium academicorum receptus apud medicorum ordinis t. t. Pro-Decanum spectatissimum *Mayer* nomen professus sum.

Per quattuor deinceps annos et dimidium in medicinam artem incumbentem hi viri illustrissimi et praelectionibus et exercitationibus practicis me instruxerunt: *Albers, E. Bischoff, G. Bischof, Budge, van Calker, Harless, Kilian, Mayer, Naumann, Noeggerath, Pluecker, Treviranus, Troschel, C. O. Weber, M. J. Weber, Wutzer.*

Praeterea per anni spatium in clinico chirurgico assistentis secundi munere functus sum, quod Prof. *Wutzer*, vir spectatissimus, mihi tradidit.

Quibus omnibus viris optime de me meritis, praecipue *Wutzer* praeceptoris dilectissimo, maximas habeo gratias semperque habebo.

---



## THESES.

---

1. *In curanda scrophulosa paupertas maximum impedimentum.*
2. *Manus medici obstetricii, quoad fieri potest, instrumentis praeferenda.*
3. *Aneurysmatum operatio secundum Antylli methodum praestantior.*
4. *Kali hydroiodicum dyscrasin syphiliticam non sanat.*
5. *In urethrostenosi curanda methodus dilatationis cauterisationi et incisioni praeferenda est.*



Fig. 1.










Fig. 2.




Fig. 3.

